



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nucleus Juris Canonici

Thenhaven, Bernhard

Coloniæ Agrippinæ, 1739

XI. De his, quæ fiunt à majore Parte Capituli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](#)

DE HIS, QUÆ FIUNT A MAJORE PARTE CAPIT. 403

lia invitari debent, & eorum Nuntii seu
Procuratores ad tractatus admitti, maxi-
mè super illis, quæ ipsa contingere Ca-
pitula dignoscuntur. Verum ii solùm ad-
mittuntur ad votum consultivum, (non
decisivum, utpote quod solis Episcopis
& Abbatibus jus baculi & mitræ habenti-
bus in Conciliis competit) qualiter etiam
juxta Trident. sess. 24. de Ref. c. 2. Rectores
Ecclesiarum convocari, & Synodo Diœ-
cesanæ interesse tenentur.

Hæc per se clara sunt, nec expositione
indigent. *In quibus autem aliis casibus*
Episcopus vel Prælatus teneatur requirere
consensum Capituli, & in quibus sufficiat
petere consilium? Petendum ex specia-
libus Statutis aut Jure consuetudinario
singularum Ecclesiarum vel Monaste-
riorum.

T I T U L U S XI.

*De his, quæ fiunt à majore Parte
Capituli.*

I. Per CAPITULUM hîc intelligitur Colle-
gium Canonicorum & aliorum, qui
de jure vel consuetudine in actibus Capi-
tularibus habent votum seu jus suffragii;
in quo, quia ut ait Leuren. b. t. q. 131. sæpe
reperiuntur heteroclita capita, adeoque

C. 2

con-

404 LIBER III. TITULUS XI.
consultum non sit, ut valor aetatis semper
pendeat ab omnium consensu, hinc h.t.
statuitur:

2. In Decret. c. i. „ Cùm in cunctis Ec-
„ clesiis, quod pluribus & sanioribus fra-
„ tribus visum fuerit, incunetanter debeat
„ observari, statuit Conc. Lateran. ut nisi
„ à paucioribus & inferioribus aliquid ra-
„ tionabiliter objectum & ostensum fue-
„ rit, appell. rem. prævaleat semper, quod
„ à majori & saniori parte Capituli fuerit
„ constitutum. Unde pro sententia ma-
„ joris & sanioris partis (quænam illa cen-
„ seatur, dictum est L. I. T. 6. §. I. n. 10.)
„ stat præsumptio juris, non de jure, adeo
„ que probationem in contrarium, v.g.
„ quod cedat in damnum Ecclesiæ, non ex-
„ cludit. In variis etiam casibus à jure ex-
„ pressis, v.g. in assumptione Coadjutoris,
Episcopo in amentiam lapsi, requiruntur
duæ Tertiæ Capitularium, juxta dicta
sup. T. 6. n. 3.

3. C. 4. Cùm Archi-Episcopus R. ad
„ restaurandam fabricam Ecclesiæ cum
„ consensu majoris & sanioris partis Ca-
„ pituli statuisset, ut quilibet Canonico-
„ rum unà cum Archi-Episcopo aliquam
„ reddituum portionem operi tam pio-
„ & necessario deputaret, mandat Pon-
„ tifex, ut si quis tali statuto duxerit re-
„ sisten-

UT BENEF. ECCL. SINE DIMINUT. CONFERANTUR. 403
„fitendum, tamen obtineat sententia
„plurimorum. Verum tale Decretum
factum à majori parte Capituli pro ope-
re aliquin pio, sed ad Ecclesiam vel Ca-
pitulum non multum pertinente, potest
pars minor vel etiam unicus se oppo-
nere, prætendendo proprium seu singu-
lare suum interesse, juxta R. J. 29. in 6.
*Quod omnes tangit, ab omnibus debet ap-
probari.*

T I T U L U S XII.

*Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminu-
tione conferantur.*

Rubrica, quia perfectam habet senten-
tiam, pro lege habetur, in qua Tò
conferre comprehendit præsentationem,
institutionem & quamlibet aliam provi-
sionem beneficij; quod quinque modis
diminui dicitur:

I. PER RESERVATIONEM REDDITUUM, in
parte vel in toto, de qua *b.t. c.un.*, Cùm
„Archiepiscopus M. officium Cancella-
„riæ, retentis sibi proventibus, alteri con-
„tulisset, rescripsit Pontifex: Si cum eo,
„qui accepit beneficium, ante collationem
„convenerit, ut retineat ipse sibi proven-
„tus, non est dubium intercedere simo-
„niacam pravitatem, cùm & in Lateran.

Cc 3

„Con-